



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Instituta ab eo Academia bonorum colloquiorum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

dissertationem rerum cælestium rediære.

*Industria
ad compa-
randam co-
piam san-
ctioris ser-
monis.*

Multum operæ ponebat in siluâ seu copîâ quadam colligendâ diuinarum rerum, quas inter colloquendum in commune proferret. Si quid rarum exquisitumque aut in concionibus, aut lectionibus publicis, aut priuatis adhortationibus, aut lectione super mensâ audiuiisset, aut etiam legisset ipse apud sacros Auctores, scripto adnotabat. Sed duæ res præ ceteris in hoc studio longè præstantissimæ fuere; prima, quod Superiorum auctoritate, cum seorsim in contubernio degeret, inter Sodales illos suos instar Academiolæ cuiusdam religiosæ instituerit (vacationum diebus, quibus in vineam itur rusticatum) quam ille non Academiam, sed Colloquia religiosa vineæ appellabat. Interdiu igitur, ad horæ spatium, in porticum aliquam aut apertum tuguriolum quodpiam conueniebant. Hic virtus aliqua proponebatur, plurimum sententiâ selectâ, de quâ, conuentu proximo essent dissertaturi. Primis comitijs actum de fraternâ charitate, de modestiâ, de humilitate, de custodiâ sensuum, de sui ipsius abnegatione, de oratione, de tolerantia, de sanctâ animi alacritate; nam hunc ab eo descriptum ordinem reperio. Tum vni alicui eorum dabatur prouincia hanc illamve virtutem definiendi, indicandi que si quæ Regula,

*Instituta
ab eo Aca-
demia bo-
norum col-
loquiorum.*

IOANNIS BERCHMANNI. IOI
gula, si quod Maiorum decretum, eam præ-
ciperet, eiusque faceret mentionem. Alius
aliquis referebat, quæ virtutis illius actus in-
terni externive possent exerceri. Huic cura
erat adducendi incitamenta quæ ad ample-
ctendam virtutem inuitarent. Illi erat mu-
nus impositum dicendi, quæ ratione ac viâ,
quibus item medijs, ad virtutem obtinen-
dam pertingeretur. Isti denique cautio erat
adferendorum exemplorum aut testium, qui
hac illâve virtute præcipuè floruisent. Qui-
libet sese ad impositam prouinciam strenuè
per hebdomadam præparabat, dieque feria-
to in vineam coibant, loco constituto, de que
rebus propositis simpliciter breuiterque con-
fabulabantur. Tum sub finem permitteba-
tur vnicuique quæstiones de pertractatâ vir-
tute ponere: quibus expeditis, ad vitiorum
fugiendorum tractationem, eodem ordine
procedebatur. Viguit id institutum etiam
post Ioannis mortem, vigetque, vt audio, vs-
que huc. Neque aliò hæc spectabant, quam
vt sese mutuò ad virtutem accenderent, & à
vitijs auocarent, simulque materiam collige-
rent rerum idonearum, quibus quampluri-
mos colloquendo iuarent. Reperio autem
perscripta à religiosissimo Iuvene omnia
quæ in iam dictis conuentibus suo tempore
fuisse pertractata.